

Rom. 11 dito est. Cuius secreti profunditatem quodammodo expauescens Apostolus clamat. O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ dei, quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles uia eius. Quis enim cognouit sensum domini? Et hoc est profundum. Altitudo quippe commune nomen est excelso & profundo. Sed cum in excelso dicitur, sublimitatis eminentia commendatur, cum autem in profundo, difficultas inuestigationis & cognitionis. Vnde & illud de deo dicitur, Quàm magnificata sunt opa tua domine, nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ. Et iterum, Iudicia tua uelut abyssus multa. Hinc igitur est illud apostoli quod requirendum inter cætera posuisti. Huius rei gratia inquit flecto genua mea ad patrem domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cælis & in terra nominatur, ut det uobis secundum diuitias gloriæ suæ uirtute corroborari per spiritum eius, in interiori homine habitare Christum per fidem in cordibus uestris, ut in charitate radicati per fidem præualeatis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo & latitudo, altitudo, & profundum, Scire etiam sup eminentem scientiam charitatis Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem dei. Attende omnia diligenter. Huius rei inquit gratia flecto genua mea ad patrem domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cælis & in terra nominatur. Quæris, cuius rei gratia hoc supra dixerat, Propter quod peto non infirmari in tribulationibus meis pro uobis. Hoc ergo eis optat ut non infirmarentur in tribulationibus apostoli, quas pro illis sustinebat, & propter hoc genua flectebat ad patrem. Proinde non infirmari unde illis sit, sequitur & dicit, Ut det uobis secundum diuitias gloriæ suæ uirtute corroborari per spiritum eius. Hæ sunt diuitiæ, de quibus dicit, O altitudo diuitiarum. Abditas enim habet causas, ubi præcedentibus nullis meritis quid habemus quod non accepimus. Deinde sequitur, & quid optet adiungit, In interiori inquit homine habitare Christum per fidem in cordibus uestris. Hæc est uita cordium qua uiuimus in seculum seculi, ab initio fidei usque ad finem spei: ut in charitate inquit radicati & fundati præualeatis comprehendere cum omnibus sanctis. Ista est communio cuiusdam diuinæ cœlestisque reipublicæ, hinc saturantur pauperes, non sua quarètes, sed quæ Iesu Christi, id est non commoda priuata sectantes, sed in commune ubi salus omnium est consulentes. Nam de ipso pane quo tales saturantur, quodam loco Apostolus dicit, Unus panis unum corpus multi sumus. Quid ergo comprehendere? quæ sit inquit latitudo, sicut iam dixi, in bonis opibus, quibus beneuolentia porrigitur usque ad diligendos inimicos: & longitudo, ut longanimitate per hac latitudinem molestiæ tolerant: & altitudo ut per his æternum quod in supernis est præmium, non uanum aliquid aut temporale speretur: & profundum unde gratuita gratia dei secundum secretum & abditum uoluntatis eius existit. Ibi enim radicati, ibi sumus fundati, Radicati propter agriculturam, fundati propter ædificationem quæ non est ab homine. Dicit alio loco idem Apostolus, Dei agricultura estis, dei ædificatio estis. Hoc totum agitur cum in hac nostra peregrinatione fides per dilectionem operatur. In futuro autem seculo perfecta & plena charitas sine ulla malorum tolerantia, non fide credit quod non uidet, nec spe desiderat quod non tenet, sed in æternum ueritatis incommutabilem speciem contemplabitur, cuius sine fine quietum opus erit, laudare quod amat, & amare quod laudat. De hac sequenter dicit, Scire etiam sup eminentem scientiam charitatis Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem dei. In hoc mysterio figura crucis ostenditur: qui enim quia uoluit mortuus est, quomodo uoluit mortuus est. Non frustra igitur tale genus mortis elegit, nisi in eo quoque latitudinis huius & longitudinis & altitudinis & profunditatis magister existeret. Nam latitudo est in eo ligno quod transuersum desuper figitur. Hoc ad bona opera pertinet, quia ibi extenduntur manus. Longitudo in eo quod ab ipso ligno usque ad terram conspicuum est, Ibi enim quodammodo statitur, id est persistitur & perseveratur, quod longanimitati tribuitur. Altitudo est in ea ligni parte, quæ ab illo quod transuersum figitur, sursum uersus relinquatur, hoc est ad caput crucis fixi, quia bene sperantium superna expectatio est. Iam uero illud ex ligno quod non apparet.

A par
 gra
 cat
 secu
 tato
 dicit
 pop
 uer
 tria
 cru
 tat
 qu
 terr
 qui
 cœ
 dicit
 bu
 lig
 pa
 re
 ei
 en
 em
 ob
 spu
 eu
 sta
 na
 ca
 fat
 tic
 rit
 ei
 ral
 fue
 his
 da
 ren
 mo
 ra.
 gn
 terr
 que
 in o
 terr
 cum
 terr
 mu
 qui